PETRI FRANCISCI MINOTIJ SAUINATIS EPIGRAMMATA AD...

Pietro Francesco Minozzi

Digitized by Google

Digitized by Googl

XXVII
[illegible]

Digitized by Google

1023.43

Digitized by Google

1023-43

A I

PETRI FRANCISCI MINOTII SAVINATIS

Epigrammata

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſs. Antiſtitem
ASCANIVM PICCOLOMINEVM DE ARAGONA,
Cùm primùm, Anno ineunte, ipſo Diuinæ Circumciſionis die, in Archiepiſcopatus Poſſeſsionem SENAS *ingrederetur Anno D.* M.DC.XXIX.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

SENIS, Apud AEmilium Bonettum M.DC.XXIX.
Superiorum permiſſu.

PETRI FRANCISCI
MINOTII SAVINATIS
Epigrammata

Ad Illuſtriſsimum, ac Reuerendiſs. Antiſtitem
ASCANIVM PICCOLOMINEVM
DE ARAGONA,
Cùm primùm, dum incedit, ipſa Diuinæ Circumciſionis die, in Archiepiſcopatus Poſſeſsionem SENAS *ingrederetur. Anno D.* M.DC.XXIX.



SENIS, Apud Herculem Gorum M.DC.XXIX.
Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS.
ASCANIO PICCOLOMINEO
DE ARAGONA
Meritiſsimo Senarum Archiepiſcopo

PETRVS FRANCISCVS MINOTIVS FOEL.

LVNAM Phœbi ſororem commendauit Antiquitas, Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Antiſtes: Propterea non miraberis, quòd nugax ille Phœbus me compulerit, vt te ſuis ipſe nugamentis compellarem; nàm quùm Frater ipſe ſit Lunæ, LVNIS tuis quaſi ſororibus debuit, vt cunq; poterat, declarare inſitam animo beneuolentiam. Carminum architectus, & arbiter mihi carmina ſuppeditauit. Sed, vt video, poëticis vinciri numeris non poteſt liberrimum Senarum gaudium, & profuſiſſima Populi hilaritas, quam iucundiſſimè traxerunt, cùm primùm ipſe perueniſti Senas ARCHIEPISCOPI munus ſuſcepturus. Non ergò putabis à me Se-

narum alacritatem, aut meritorum tuorum lau-
deſ exponi meis hiſce carminibus, quæ in Par-
naſſo verè quidem ſomniarunt. Et ſi quæ Se-
nenſium mentes tua meditantur ençomia, inge-
nia nimirùm in liquidiſſimo popularis lætitiæ flu-
mine immerguntur. Adde quòd, ſi qui potuiſſent
emergere Heliconis, aut Muſarum fontes, ipſos
adiectus Senis LVNARVM tuarum ſplendor Di-
uino ſanguine caleſcens arefecit: Et laudandi fa-
cilitatem fœlicitas, quam Tui aduentu ſentiunt
Senenſes, ademit ingenijs: Et copia inopem di-
cendi me fecit. Nec carminum numeri nume-
rare ſatis poſſunt tuas animi dotes; nec metra
metiri virtutes; nec verſuum pedes tuam aſſequi
gloriam; nec calamus, aut penna tuæ famæ pen-
nas ſequi, nedum aſſequi. Mergi Lunam in Ma-
ri Vates aſſerunt, obidq; iure merito Mare vir-
tutum eris, ò Præſul, quùm in te LVNAS emi-
care ſuſpiciam: Nonnè igitur fruſtrà addam car-
mina, hoc eſt Heliconis vndas Mari? Vt lau-
dum tuarum pelagus enauigem, tenuis eſt inge-
nij mei nauis, gracile calami remigium, inepta
meæ vocis aura, malè compta chartarum vela:
Nec atramentum ſolidare nauim poteſt, quod
itineris curſum tenebris offundit ſuis; nec mea
papyrus ad nauigandum idonea eſt. Quod ſi ipſe
attentarem, alter quaſi Icarus deijcerer, non So-
lis quidem radijs, ſed fulgore LVNARVM tuarum.

Luna (vt apud Poëtas habemus) Equis vehitur; quî igitur mea Anſeris penna tuas ferrè poſſit Lvnas, quæ nobilioribus Cycnorum alis extolli, & Pegaſi pedibus euehi vel in Cælum Lunæ patrium dignæ ſunt ? Ingenij mei tenebræ ad Lvnarvm tuarum (vt ita dicam) Solem hebeſcunt magis : Nec mea ſterilitas poteſt Lvnarvm exponere fœcunditatem. Audies tamen ipſe fatentem, quod res eſt. Quùm humorum Mater ſit Luna, ſenſi proindè Lvnas tuas humoris ſimul, & amoris parentes mei calami ariditatem irrigare, vt non tàm atramentum, quàm ipſi Lvnarvm liquores papyros haſce proluerint, ſiuè exarauerint. Quinimò iſpe etiam calamus humorem ad ſcribendum exhauſit ex ipſis Populi gaudijs, quorum alluuie Senenſium animi colliqueſcunt. Quid quòd, quùm ingenium meum imperitiæ ſit nox, ad Lvnas tuas confugere debuit, quùm Luna noctu potiſſimùm eniteſcat ? Nihil addam ampliùs, niſi te meritiſſimum Senarum Antiſtitem fuiſſe iuſſum, quùm Sena ſit Civitas Virginis, & Virgo ſit Lvna, à qua fas erat Lvnarvm expeti ſocietatem. Et quamuis Lunæ lucem Lupæ oderint, Senenſis tamen Lvpa Lvnarvm tuarum radios iàm diù concupiuit. Sed ne tibi perſuadeas hoc tantùm Archiepiscopi munere tuum definiri ſplendorem ; noſti enim Lunam continenter

euagari. Euagabuntur profectò, & in dies magis, magisq; creſcent tuæ in ſplendoribus LVNAE, in ſua tamen virtute conſiſtentes. Et nimirùm, quùm anni ineunte primordio Senis affulſerint, viſæ ſunt LVNAE (ſi fas eſt dicere) LVNARIA, perpetuæ ſcilicet prognoſtica fœlicitatis. Eòq; magis fœlicitatem portendere viſę ſunt, quòd ipſæmet LVNAE cùm IESV, hoc eſt cum Diuino Sole nituerunt, qui in Circumciſione quaſi eclipſim ſortitus, LVNIS tuis iubar ſuffeciſſe quis ambigat? At iam Circumciſi Domini cruor ruborem, & pudorem inſtillat, & fronti, & calamo, quùm potiùs tuas in laudes ire debuerit ſilendo, quàm ineptè laudando. Dabis tamen ipſe veniam, ſi longiùs, quàm fuerit par, abierit; eòq; magis dabis, quòd meum calamum tuarum LVNARVM motus mouerunt. Interim tacitè tua commendabit præconia in pennam commutatus, quo Chriſtus vulneratur, gladius, in atramentum cruor, virgo ipſius caro in paginam, gemitus in vocem, in Poëtam Puer. Quod reliquum nunc eſt, tuum erit humanitatis oculis, & ſinu aſpicere ſimul, & accipere meos hoſce verſiculos, quaſi meæ in te venerationis obſides, cultus teſtes, obſeruantiæ miniſtros, beneuolentiæ prænuncios, quibus te proſequor ignotus notiſſimum meritis, & gloriá. Quòd ſi olim ſummus ille Alexander aquas lutulentas, ab

homine ruſtico ſibi oblatas, ſitiens non reiecit: Sic tu, ASCANI ſapientiſſime, quùm ſiti flagres de omnibus benemerendi, non renues, quas offero, Heliconis aquas, licet turbulentas. Sed quid? Si

Carmina de Cælo poſſunt deducere Lunam,

quidni mea carmina, licet immerita, è tuæ benignitatis Cælo LVNAS tuas ad fauendum deducant? Id ſi facies, aureus LVNARVM tuarum candor meum illuſtrabit atramentum. Vale: Et LVNAS tuas in Vaticani Cælo PVRpurata inter Sydera breui ſuſpiciendas ſpera, vti PILEI tui viriditas ſperare Senam iubet.

EPIGRAMMA
AD LECTOREM.

ANnorum triadem, & terni quinquennia luſtri,
Cuius metra legis, candide Lector, agit.
Ni mihi Calliope, ni blandus fauit Apollo,
Iàm fauet ipſa Hebe, iàm mihi LVNA fauet.
LVNA ſuo illuſtrat nunc atramenta nitore,
Erratis veniam blanda Iuuenta parat.
Ni furor eſt Phœbi, aut Heliconius iſte: Iuuenta
Saltem erit iſte furor, ſaltem erit iſte calor.
Edentem hac liuoru edes ſi dente, refringet
ASCANII hunc iaculis clara DIANA ſuis.
Hîc Circumciſi, qui militat enſis IESV,
Succidet linguam, ſi rea lingna, tuam.
Sed tutor, non tortor eris mihi Lector; & idem
Blandus eris LECTOR, non mihi LICTOR eris.

B 1033-43
2
99 956792

MC

Digitized by Google

Digitized by Google